

Q. N. 351, 39.

(X 1860462)



A. J.

I D E A

Viri Generosi,

quam

in

Academia Lipsiensi,

moderante

M. ADAMO Rechenberg /

hodiè Facultat. Philosoph.

DECANO,

Cognato suo dilecto,

publicæ Eruditorum censuræ

exponit

JOH. ADAM Rechenberg /

Satz. Misn.

A. M. DC. LXXVI, D. XIV. Octobr.

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.



J 29



*PER-ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
HEROI,*

DN. HERMANNO

A WOLFRAMSDORF,

**DYNASTÆ IN MÜGELN, KOESTERIZ,
PEHLIZ, SAHLHAUSEN ETC.**

**SERENISSIMI ATQVE POTENTIS-
SIMI ELECTORIS SAX. IN SECRETIORI
CONSILIO SENATORI ET COMITI, NEC
NON CIRCULI LIPSIENSIS CAPITANEO
AC PRÆFECTURARUM ILLIUS DI-
RECTORI SUPREMO,**


*DOMINO AC MECÆNATI SUO
GRATIOSO,*

**IDEAM HANC RUDI PENICILLO
DELINEATAM,**

PIETATIS ATQVE OFFICII CAUSSA

D. D. C.

**PRÆSES ET RESPONDENS
RECHENBERGII.**



I. N. J.



*I*dea, quam exprimere heic instituimus, sit idea, quæ paucis fortè mortalium exemplis illustrari queat; non tamen vana umbra fuerit aut res nau-ci. Nam & *Xenophon* olim Principem in *Cyropædia* sua descripsit, qualis nondum legitur inventus; *Plato* *Remp.* effinxit, in quâ nemo adhuc vixit; & *Cicero* *Oratorem* delineavit, qui nondum pro rostris auditus est. Fas igitur etiam nobis fuerit *Viri Generosi ideam* exhibere, quò constet, qualem esse deceat.

C A P. I.

Summarium.

1. *Tractationis initium.*
2. *notio vocabuli generosi explicatur.*
3. *unde Generosus cognoscendus.*
4. *Animus Generosus à quò:*
5. *in quò consistat*

juxta Cartesium. 6. Studium Generosi triplex habet objectum.

§. 1.

Viri Generosi ideam dum heic delineare animus est, non necessum videtur, multa de vocabulis, quæ argumentum hoc exprimitur, commentari; cum omnes, qui latinè loqui nōrunt, illas notiones bene intelligant.

§. 2.

Paucis: *Generosus* dicitur, vel qui honestâ ac illustri gente natus; vel qui liberali excelso erectoq; animo pollet. Hinc Voss. l. II. institut. Orat. c. XIV. n. 7. discrimen facit inter *εὐγενεῖς* sive nobiles solùm, & inter *γενναίους* sive *Generosos*. *εὐγενεῖς* Aristoteli l. II. Rhet. c. 15. p. m. 667. sunt, qui bono fuerunt nati genere, licet interim à majorum virtutibus deflectant: cujusmodi hominum nobilitas in astragalus sita est; ut de leviro suo dicebat *Herodes Atticus*. At *γενναῖοι* sunt, qui non degenerant, sed majorum imitantur virtutes. Itaq; & *Aristoteles* in *historiâ Animalium* l. 1. c. 1. p. m. 830. leonem *εὐγενῆ* nobilem vocat, lupum *γενναῖον* generosum. Latinis etiam aliud est *nobilis*, aliud *Generosus*: unde est, quod in epistola *Hypsipyles* ad *Jasonem* conjunguntur ab *Ovidio*,

Sic te nobilitas, generosaq; nomina tangunt:

Et apud *Juvenalem*,

Felix & sapiens, & nobilis & Generosus.

Nobis heic *Generosus* est, qui animo excelso & virtutis studio titulum hunc meretur: ceterum sive illustres, sive obscuros habeat natales, parum refert.

§. 3.

De ipsa re, ut ordo poscit, nunc magis inquirendum, ut adpareat, qualem fas sit in ideâ *Virum* adpellare *Generosum*. Hoc autem optimè fieri posse arbitramur, si prius declaremus indolem *animi generosi*; deindè verò characteres certos adponamus, quibus nosci rectè queat *Generositas*. Tales autem petendi sunt ab animo viri talis, ejusq; studio, quò maximè magnanimitatem prodit.

§. 4.

Ac animum quidem erectum & indolem altiore, à quâ impetus

285.

petus illi generosi proveniunt, DEUS omnium bonorum fons largitur. Nam etsi omnes mortales æqualiter animò gaudeant & ratione; tamen animi dotes & inclinationes multum inter se differunt: Sive ad illas producendas cœli nos ambientis soliqve genius quid conferat; sive humorum in corpore temperatura ex ipso semine, ætate, victu, valetudine, studiorum ratione, similibusq; causis proveniens. Confer *Barclji Icon. Animor.*

§. 5.

Si *Cartesium*, Gallum celeberrimum, de *Passionib. art. 152. seqq. p. 68. 69.* audire placet, vera animi *Generositas* æstimanda est ex legitimo usu liberi arbitrii nostri & ex imperio, quod in nostram voluntatem exercemus: Nempe ut homo nôrit, nihil revera suum esse, præter hancce liberam dispositionem suæ voluntatis, & quod ex solo istius rectò aut pravò usu laudari debeat, aut vituperari; quodq; sentiat in se constans propositum eadem benè utendi. Hinc uti non multò se inferiorem illis ducit, qui opibus, honoribus, formâ, ingenio, eruditione antecellunt, quod hæc tanti non esse judicet; sic ubi eadem in se invenerit, haut ideò multò superiorem aliis, quos excellit, se judicat. Ubi tamen simul deprehenditur honesta *humilitas*, quæ cogitat *Generosus* de infirmitate suæ naturæ, & erroribus, quos olim potuit commisisse aut deinceps potest committere: per quam efficitur, ut nemini sese præferat, reputans parili modo ceteros æqvè benè suo libero arbitrio, ac ipsum uti posse, quò æqvè pollent. Ast qui bonam opinionem de seipsis concipiunt, quacumq; alia de causâ, non pollere verâ *generositate* sed tantum turgido fastu; qui semper quidem vitiosus; verum eò magis, quò causa propriæ existimationis fuerit iniquior. Hæc, ut ut benè se habeant, quæ *Cartesius* de generosæ mentis proprietate disserit; tamen modò dictus liberi arbitrii usus legitimus, sine impetu quodam naturali & facultate animi excelsa à Deò concessâ, in nullo homine, etiam circa res naturales & civiles deprehenditur. Quare, ut §. 4. jam dissertavimus, in *Generoso* vis altior animi requiritur, quâ ille instructus, dein magnanimitatem suam liberè actionibus & virtutum studio reddit conspicuam. Ubi legitimus arbitrii usus omninò necessarius est, & in omni virtute quoque conspicitur.

§. 6.

Ceterum, animum excelsum & ita liberalem sequitur studium

286.
dium, quod occupatur in virtute, vel quâ adversus Deum se rectè ge-
rit, vel quâ erga seipsum; vel quâ erga alios in civitate viventes, se
præstat generosum. Hac enim divisione, ut summa virtutum & offi-
ciorum omnium comprehenditur; ita vel maximè si in uno, illæ
cum magnanimitate quâdam sunt conspicuæ, mentem indicant ge-
nerosam.

C A P. II.

Summarium.

1. Character primus Generosi pietas & religio est.
2. quod probatur ratione & exemplis.

§. 1.

Primus hinc character viri Generosi, est religio seu pietas, quæ dua-
bus partibus absolvitur: una, rectum de Deo sensum; altera, ve-
rum Dei cultum complectitur. Christianorum Theologi hæc cre-
denda & facienda appellant, simulque ex solo rationis lumine isthæc
cuncta demonstrari posse rectissimè negant. Necessè enim est acce-
dat peculiaris divina revelatio, quæ DEi naturam & voluntatem, nec
non alterius vitæ procurandæ modum mortalibus, naturâ incogni-
tum, sola ostendit. Id quod contra Edoardum Baron, Herbert de
Cherb. lib. de Rel. Gentil. p. m. 210. notandum est.

§. 2.

Hanc autem decere Virum Generosum non eget probatione.
Nam si absque eâ nemo vir bonus audire debet; certè nec sine illâ
Generosi nomen quisquam merebitur; cum qui summum Numen
non reveretur, non verisimile sit, illum honestatis amore & consci-
entiæ bonæ fiduciâ amare alias virtutes, quæ haut dubiè generosita-
tis notæ sunt. Qui cultum metumque Numinis divini susque de-
que habet, is sanè honestatem, pudorem, fidem inter inania vocabu-
la: reputabit; nec ad Generositatem fictam illam aliter, quam va-
næ gloriæ cupidine adiget. Verissimè enim Poëta dixit:

— *Primæ scelerum causæ mortalibus agris
Naturam nescire DEum.*

immanis vecordia illos agitat, qui ad opinionem Generositatis conci-
liandam facere autumant, si in impietatem proclives & sacra con-
temnere videantur. Ut Diagoras olim Prodicus & Theodorus, quos
ideo

287.

ideo a *ἄθω* cognomine affectos fuisse *Lipsius* memorat, *Cent. II. Epist. ad Belg. ep. 26.* Cogitare potius debent, quod *Livius Lib. V. p. m. 142. ait, omnia prospera evenisse sequentibus DEOS, (Deum) adversa spernentibus.* Abrahami, Mosis, Josuæ, Davidis & aliorum Generositati non obfuit sincerè coluisse DEUM. contra fuisse impium semper etiam cultioribus ethnicis nefas habitum est. *Machiavelli* impietatem quâ minui Christianâ religione fortitudinem bellicam docuit, eruditè confutavit *Thomasius noster Disput. publ. A. 1670.* hic Lipsiæ habita. Humilitas, quam Christus Salvator noster commendat, veræ generositati nequaquam repugnat: Quin potius (ut *c. I. §. 5. insinuavi,*) eidem annexa est v. *Cartesi de Passion. part. III. art. 155. p. 69.*

C A P. III.

Summarium.

i. *Secundus character, respectu sui est cura animi, utis perficiatur temperantiâ. 2. tertius character periculorum non necessariorum fuga: 3. Hinc detrectat duella privata: 4. nec alapam cæde vindicare debet. 5. Sententia Moralistarum recitatur. 6. & 7. refellitur. 8. fuga in periculo, generoso non semper probrosa. 9. quartus character est moderatio animi in utrâq; fortuna.*

§. 1.
Alter generositatis veræ character est, ut se maximè studeat homo societatis humanæ utile & gloriosum membrum efficere. Quod ut fiat, rectè animus, rectè etiam corpus curandum venit. Ille honestis studiis & artibus exornandus; hoc ad laborum patientiam firmandum ac intemperantia cibi potusq;ve non affligendum. Nam *Generosi* est permissis quoque & honestis voluptatibus sese abstinere, quoties dignitatis & magnarum rerum cura ei graviora svadet. Hinc ebrietas, immodica Venus & similia, quæ animum coinquinant, vitanda sunt. *Animo per libidines corrupto nihil honestum inest, inquit Tacitus II. Annal. 37.* Temperantiam *Generosi Alexandri, anteqvam*

tequam degenerasset, describit *Curtius* l. X. c. 5. *modus immodica- rum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi expermisso voluptas. Lib. V. cap. 7.* in voluptatibus permisis quoque & licitis temperantiam laudat, à qua cum descivisset generositatis laudem imminuit. *vid. l. VIII. c. 4. n. 24. & 25. Scipionem Africanum à continentia singularis studio commendat Val. Max. l. IV. cap. 3. Exemp. 1.* Sed *Agellius* dubiam illi hanc gloriam facere videtur l. VI. N. A. c. 8, citando versus à *Cn. Nevio* poeta in eum scriptos:

*Etiam qui res magnas, manu sepe gessit gloriose,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus
Præstat: eum suus Pater cum pallio uno ab amica abduxit.*

Josephus primarius Pharaonis Regis Ægyptiorum minister, citra du- bium hanc generosæ castitatis laudem meruit, quia corpus animum & oculos ab impuræ uxoris domini sui illecebris abstinuit, ac fœ- minæ talis notitiam habuisse, nefas putavit.

§. 2.

Tertius Character est sollicita sui & cum honestate conjuncta con- servatio. Ut enim civitati diu prodesse queat vir *Generosus*, temerè periculum subire declinat. Spartani olim laudati fuerunt hoc no- mine, quos *Plutarchus* in *Lysandri & Syllæ* comparatione refert mu- rorum oppugnationes fugisse; quippe ubi non solum à viro abjecto & fœmina vulneratum cadere contingat fortissimum, quomodo à *Paride* interfectum ajunt *Achillem*; Vera autem vox sit *Periclis*: *arbores casas & dejectas mox renasci, virorum casorum iterum non prom- tam fore facultatem. v. Plutarch. in vita ejus c. XX. fol. m. 170.*

§. 3.

Non igitur licet in statu civili ad duella provolare, ac violentam sui defensionem moliri, ubi tempus ac locus fert auxilium magistra- tus implorari ad repellendam injuriam, qua vita, vitæq; æquipollens, aut irreparabile bonum in præsentaneum periculum adducitur. Ge- nerositas enim, quæ contra divinas humanasq; leges vindictam pri- vatam in duello exercet ac vitam suam nauci facit, temeritas rectius ac audacia adpellatur. Absurdè hinc valdè sunt illi *Moralistæ*, quos citat *Grotius* l. II. c. 1. §. 5. qui tradunt *jure posse interfici eum, qui non quidem vim præsentem jam intentet, sed conjurasse, aut insidiari comper- tus sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsum testimonium,*
iniquum



289.

*iniqum iudiciū moliri: scilicet, si aut aliter periculum evadi non possit, aut non satis certum sit, evadi non posse. Enimverò interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos quoq; casus patet. Sanè si viro generoso ad retundendam injuriam jus datur cædem exercendi, magistratu non opus fuerit, qv̄i tamen hâc de causâ institutus legitur, ut injurias vindicet & cuiq; jus suum procuret, Rom. XIII. Ex his, qv̄æ dicta sunt, simul intelligitur *Viri Generosi* famam & dignitatem non minui, si *duella* privata subire detrectet. Nam ejusmodi monomachia, privato consilio & autoritate, in defensionem honoris læsi aut existimationis suscepta, hominibus, præsertim Christianis, in universum interdicta est lege divina, *Levit XIX. 18. Matth. V. vers. 44. Rom. XII. v. 17. 19.* Repugnat rectæ rationi, qv̄æ audaciam fugere jubet, & in suâ causâ propter *Φιλαυλίαν* nimiam, iudicem agere, in statu civili non permittit. Ne dicam *Generosum* dedecere, animæ salutem in casum dare, qv̄od accidit, si ex vulgi mente credat magnopere honori suo detrahi, nisi duello vindicet injuriam. Magistratus certè ideò institutus est, ut ulciscatur injurias; & illas qv̄idem asperrimis pœnis, qv̄ibus ex more civitatis insignis ignominia adhæret. Qv̄alis est illa læsio, qv̄æ honestum virum contemptui & ludibrio exponit, ut convitia, alapæ & similes.*

§. 4.

Nec periculum accipiendæ alapæ, aut similis mali, jus viro generoso illud cum cæde intentantis præbet. *Grotius* qv̄idem *l. II. c. 1. §. 10.* id non repugnare justitiæ explettrici censet, cum caritas per se non obstringat nos, ad ejusmodi contumeliam devorandam, in gratiam nocentis. Verum doctrinam Evangelii (addit) non admittere, ut ejusmodi injuria tam violenter repellatur. Atqve hoc ipso, *Grotius* qv̄idem justior multò est *Moralistarum* turbâ, qv̄æ *Generoso viro*, Christiano licet, jus occidendi dat eum, qv̄i alapam aut fustem impingere ipsi nitatur. Ita *Azorius Instit. Moral. Part. III. l. 2. p. 105. Filincius Tom. II. Tr. 29. c. 3. n. 50. Lessius de Just. & Jure l. II. c. 9. dub. 12. n. 77. Escobar Moral. Theol. Tract. 1. Exam. 7. c. 3.* ad viros nobiles restringit, qv̄od alii de viro honorato promiscuè affirmant. *Mart. Becanus, Summ. III. part. tr. c. 64. de homicidio qv̄. 8. Franciscus Amicus T. V. disp. 36. n. 118. clerico & religioso licere etiam honorem suum defendere cum morte invasoris statuunt.*

B

confer

290.
confer *Examen probabilit. Jesuiticae Sam. Rachelii p.66. seqq. it. 137. 141.*
causam assertionis aliam allegari ab ipsis, non videas, nisi autori-
tatem Doctorum, qui famam pari modo defendendam censent
cum vitâ.

§. 5.

Verum errat heic *Grotius*, errant *Moralistæ*. Sed horum error
gravior est, quam illius. Nam *Grotius* addit, legem Evangelicam
(quam ipse cum Socinistis fingit,) non admittere, ut ejusmodi inju-
ria tam violenter repellatur. At Moralistarum natio, etiam per
Christianam doctrinam licere ejusmodi contumeliam cæde profe-
qui statuit. Enimvero licet gravissima habeatur contumelia, ala-
pis cædi: cujus causa apud multos Europæ populos hæc videtur
esse eruditis, quod fervorum aut vili adhuc disciplinæ subjectorum
ista sunt bellaria: Tamen falsum est alicujus honorem illata ejus-
modi contumeliâ per se tolli; qui sanè valdè in lubrico positus es-
set, si abs cujuslibet petulantis libidine dependerit. Quicquid in
ista re est contemptus, facile à Magistratu aboleri, aut pensari potest,
gravè multa lædentî impositâ, eodemque modo adactò, ut læso pu-
blicè honoris signa exhibeat. Vindicta privata cum in civitatibus
est interdicta, tum maximè Christianos dedecet illam per extrema
remedia exferere, Matth. V. 44. Rom. XII. & XIII. 4.

§. 6.

Adparet igitur impiam & nimis crudelem esse *Moralistarum*
sententiam, quippe quæ injustitiæ non leve affert patrocinium. Nec
illam mitiorem aut meliorem reddit opinio fortitudinis, quæ vulgi
judicio inter viros generosos, præsertim militares tali contumelia
læsa putatur, ita ut non aliter quam privatim strictò ferrò vel cæde
lædentis asseri queat. Nam vana persuasio, non jus parit agere
contra rationem & leges divinas humanasque. ille verè fortis cen-
setur, qui stationem sibi à civitate assignatam strenuè obit, nec
occasionem exferendæ fortitudini prætermittit. Atque hinc *Ge-
nerosi* actiones ex judicio sapientum, non vulgi æstimandæ veni-
unt. v. *Pufendorffii l. II. de J. N. & G. cap. 10. §. 12. Bœcleri ad l. c.*
Grotii comment. adde Ludov. Montaltii Lit. Provincial. Epist. XIV.
& D. Osiandri Annot. in l. c. Grot.

§. 7. Fu-

Fuga etiam *Generoso Viro*, si ab altero invadatur, non vertenda est vitio: præsertim si *commode fieri possit*. Nam neutiqvam ex ignaviâ aut neglectu officii talis suscipitur; sed quia ratio nullam heic fortitudinis exserendæ materiam invenit, si citra necessitatem civis sit occidendus, abs quò metu magistratus præstare *commode* potest. Quare rectissimè sani morum Doctores hanc sententiam limitant, si *commode fieri possit*. Non enim, inqvunt, credendum est tergum semper invasori obvertendum aut cessim eundum; cum illud vulneribus pateat, & heic à lapsu periculum immineat; & qui semel in fugam se conjecit, ubi forte eidem spatium non amplius supersit, aut velocitate pedum invasor præcellat, non ita facilè gradum componere idem potest ad excipiendum adversarii impetum. Ergò, ubi in proximo non patet suffugium, quo quis tutò se possit recipere, moderamen *inculpatae tutelæ* non transgreditur, qui pectus potius invasori exponit se defensurus, quàm per fugam opportunam se ictibus præbet. An autem laudabilius sit secundùm doctrinam Christianorum, si quis occidi in tali casu, quàm occidere malit, heic non definimus. vide quos laudavimus *Scriptores* & confer nostratum *Theologorum* sententias.

Quartus character est, ut fortunam adversam pariter ac secundam, æquo animo ferat *Generosus*:

*Sperat infestis metuit secundis
Alteram sortem benè præparatum
Pectus. — —*

Nam ad *Generosum* etiam pertinet, quod sequitur apud *Horat. l. II. Carm. od. 10.*

*Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahas vento nimium secundo
— — Turgida vela.*

Exemplum præbet *Metellus Numidius* apud Romanos vir celebris, qui pari vultu dicitur & exul fuisse, & restitutus; adeò inquit *Valerius M. l. IV. c. 1. exemp. 13.* moderationis beneficio, medium semper inter secundas & adversas res animi firmitate versatus est. Par

292.
huic Romano fuit inclytus Princeps, confessor constantissimus
Joh. Fridericus Elector Saxon. is enim fatali prælio ad Mülbergam
à *Carolo V.* Imp. captus, vultum animumque generosum haut quid-
quam mutavit, etiam cum mors ipsa annunciaretur, firma ipsi ac
stabilis mens fuit. Hinc Generoso plane responso *Ernestam Brun-*
svicensem, ob calamitatem hanc quasi insultantem sibi, & *condolentem*
excepit: *Nunquid ob illa angerer, quæ quando in potestate nostra sita*
non sunt, ad nos minimè pertinere, existimare debemus v. Thuan. l. III.
Hist. ad ann. 1547. f. 77. ex Sleid. l. XIX. fol. m. 288. Similis apparuit
hac in parte, vel *Poro Indorum regi*, apud *Curt. l. VIII. c. 14.* vel *Syfi-*
gambi apud eundem *l. III. c. 12. §. 25.* quæ dixit, & *preterita fortuna*
fastigium capio, & presentis jugum pati possum.

CAP. IV.

Summarium,

Characteres Generosi, quatenus consideratur ut erga
alios sese gerit: ubi 1. contemptus calumniarum. 2.
dulcedinea in quavis sorte. 3. fuga prave ambitio-
nis: 4. esse humanum & veracem: 5. nosse inter-
dum simulare. 6. urbanum esse. 7. studere justiti-
æ. 8. idea Generosi summatim verbis Senecæ ex-
primitur.

§. 1.

Restat nunc, ut videamus, quomodo erga alios sese gerere debe-
at *Generosus*. Ubi identidem diversos characteres notari posse
manifestum est. Nam primo, si præter meritum malevoli de *Gene-*
roso falsos rumores spargunt, ipse testimonio honestorum virorum
& conscientia fultus, tales altâ mente despicit, intelligens quippe,
non esse *Generosi*, cujusvis scurræ calumniis moveri. Innocentiam
præstare potest homo; quid de se loquantur alii, non potest. Lau-
dem hujus Generositatis meruit post *Saulem* Israëuitarum Regem
1. Sam. X. 27. & *Philippum* apud *Senecam l. III. de irâ c. 23.* *Augustus*
Imperator; is enim non solum *Tiberio* indignanti aliquando sibi ob-
lenem

1293.

lenem nimis animum, rescripsit: *et atitua mi Tiberi noli in hac re indulgere, & nimium succensere, quoniam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis malefacere possit: Sed etiam hoc probavit in iudicio, quod Amilius Aelianus accusabatur, quod de Caesare male locutus esset. Ubi hic ad accusatorem conversus inquit: Velim hoc mihi probes: efficiam, ut Aelianus sciat, me quoque linguam habere: plura enim vicissim de eo loquar.* Hanc virtutem postea imitatus est Tiberius, qui amicis adhortantibus, ne famosorum carminum autores impune dimitteret, subinde respondit, *in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere. vid. Svet. Aug. c. 51. ex Tiber. c. 28.* Pulcherrimum scilicet victoriae genus est, seipsum vicisse, injurias contemnere, earum memoriam non retinere, neque vindictae cupidum esse.

§. 2.

Secundo inter Generosi Characteres, porro deprehenditur avaritia; nam lubentius in alium confert beneficia, quam ipse ab alio accipiat. Recte Cartesius l. c. art. 56. p. 70. ait, Generosos nihil majus reputare, quam bene facere aliis hominibus, & proprium commodum ideo contemnere: Scilicet malunt sibi debere alios, quam se aliis. Hoc nomine laudatur Ludovicus XI. Galliarum Rex, qui, ut est apud Cominaeum, existimavit, & multo praestare, ut quis beneficio sit obstructus Principi, quam ut Princeps clienti aut famulo suo multum debeat. Confer Bernegg. Qu. in Germ. Tac. C. LXXVI.

§. 3.

Tertio, circa honores, ita Generosus animum moderatur, ut non sit detrectator sui, sed se magnis & eximiis dignum credit, quatenus ut praemium virtutis a bonis deferuntur: spernit minutos aut undecunque aut quacunque ex causa delatos. Generoso is demum videtur amplissimus, qui sua virtute in altiore locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem. v. Ciceron. pro Sext. Rosc. Am. Injurius in se & civitatem fuerit Generosus, si virtutes a Deo concessas squalescere & indignos semper anteferris sibi patitur.

Paullum sepulta distat inertia

Celata virtus.

Hor. Carm. l. 10. Od. 9. Si vero debitus ipsi honos denegatur, indi-

B 3

gnita-

299.
gnitatem rei testari verbis generosis poterit, animo reputans, in corruptis civitatibus virtuti non semper paratum esse præmium. Imò quandoque magnum sequè non indignum deprecari potest honorem: Ubi scilicet alium æquè parem dignitati, ac aliàs sibi futurum æmulum prævidet. Ex historiâ Saxonicâ illustre exemplum suggerit *Fridericus III. Sapiens Elector*. Is enim cum pridè quàm Carolus V. designaretur Cæsar, Electorum voluntate dignitatem imperatoriam habere potuisset, magno & excelso animo recusavit, atque suo suffragio illam in Carolum transtulit, quem tanti nominis oneri sustinendo, tum temporis maximè parem fore censebat. v. *Aug. Brunni Frid. Elect. p. m. 331. & Sleid. l. 1. f. m. 11.*

§. 4.

Quartò, in conversatione *Generosus* mores, ingenia, conditionem & fortunam hominum probè dijudicat, ac dein humanum se præbet; ita ut simul suæ dignitatis sit studiosus. Sanè nihil pulchrius videtur in *Generoso* esse, quàm si nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahatur. Ut *Trajanum* describit. *Plinius Paneg. c. 4. n. 6. confer iterum Cartes. l. c. p. 70.* Alexandri humanitatem *Generoso* Principe planè dignam proponit *Curt. l. III. 12. 6. ita l. V. 2. 18. &c.* Deinde etiam veritati studet ac candori *honestius* putans cum *Agricolâ* apud *Tacit. c. 22.* offendere, quàm odisse. *Liberi* oris ac apertæ frontis est, & quod de *Ennio* dicitur, *amicitiam atque inimicitiam in fronte gerit.* *Catonis* mos ipsi pro regula est, qui esse, quàm videri bonus malebat, vid. *Salust. Cat. 54.* Locum heic quandoque habet, quod *Clytus* in conviviò Alexandri voce sibi parentali extulit: *liberos homines liberam linguam habere.* *Curt. l. VIII. c. 1.* Quod tamen cum granò salis intelligendum fuerit. Ubi enim libertas oris neque DEI causam agere, neque aliis justò modò prodesse, sed potius nocere videtur, illa temperanda est. *Helvidii Prisci* plane singularis *παρρησία* fuit, qua *Vespasiano* imperatori candorem objecit. Miserat ad eum imperator, ne in senatum veniret; *penes, te inquit, ille est, ne me senatorem esse patiaris, quamdiu autem me loco non moves, in curiam mihi est veniendum.* Age, at ingressus taceto, ait imperator: *ne me roga & tacebo.* At est rogandum. *Et mihi dicendum, quod putavero rectum.* Verùm si dixeris, occidam te. *Quando ego (reponebat,) dixi, me*
immor-

295

immortalem esse? Tu tuum facies; ego meum. Tuum est, occidere; meum mori non trementem. v. *Christiani Matthie Theatr. p. 521. quæ ex Aurelio Victore hoc refert.*

§. 5.

Quintò, Salvâ animi generositate quandoque *simulatione* uti potest *Generosus*. Nam ut rectè judicat *H. Grot. l. III. de J. B. & P. c. 1. n. 7.* Haut dubie crudè nimis à *Cicerone in l. 3. de offic.* dictum est, ex omni vitâ *simulationem* *dissimulationem*que tollendam. Nam cum nec, quæ scias, nec quæ velis, omnia aperire aliis teneris, sequitur, ut *dissimulare* quædam apud quosdam, id est, te gere, & occultare, fas sit. *Licet* inquit *Augustinus lib. contra Mend. c. X. veritatem occultare sub aliqua dissimulatione.* Et necessariam hanc omninò atque inevitabilem esse *dissimulationem*, his præfertim, quibus *respubl. commissa* est, non uno locò fatetur ipse *Cicero Orat. pro Mil. & pro Cn. Plancio item l. 7. fam. Epist. 9.* interim semper nefas ducit *Generosus* mentiri. De *Epaminondâ Corn. Nep. cap. 3.* refert, eum adeo virtutis diligentem fuisse, ut ne joco quidem mentiretur, & de *Atticò c. 15.* quod mendacium neque dixerit, neque audire potuerit. Extat apud *Ælianum* dictum *Pythagoræ* duabus rebus hominem ad Deum proximè accedere, vera semper loquendo & benefaciendo aliis: & apud *Jamblicum* veracitas dux dicitur ad omnia divina humanaque bona. *Aristoteli Nic. IV. 8. ὁ μεγαλόψυχος παρρησιαστικός καὶ ἀληθευτικός* magnanimus verum & liberè eloqui amat. *Plutarcho τὸ ψεύδεσθαι δόλο- πρᾶξις* servile mentiri. confer *H. Grot. loc. cit. §. 20.*

§. 6.

Sextò in *urbanitate* gravitatis suæ non facilè dememinit, sed cum *Pompejo* oris est *verecundi*; neque tamen infra dignitatem suam putat, quandoque arguto dicto ludere, aut tangere alterius vitium. *Cicero l. 2. de Orat. cap. 5. 6. memorat, Jul. Cesare* facetiis longè excelluisse. Nec *Augusti* animus, ut *Tiberii* à jocos adhorrebat vid. *Macrobii Lib. II. Saturnal. c. 4. Sveton. in Tib. 21.* qui testis est, *Augustum* palam nec *dissimulanter* morum ejus diritatem adeò improbasse, ut nonnunquam remissiores hilarioresque sermones super-

296.
superveniente eò abruperit. De Carolo V. Principe oppidò Ge-
neroso, refert *Matthias ante laudatus in Theatr. pag. 1042.* quod,
cum Hispani enixè peterent, ut Germanos satellites & Ministros
dimitteret, imperator vultu ad severitatem compositò convocari
jussit Germanos, indicando ipsis Hispanorum petitionem: &
venite, inquit, ego etiam sum Germanus; abeamus ex aula, ne Hi-
spanis molesti amplius simus. Germani læti & alacres Cæsarem
sequebantur: At Hispani supplices veniam petitionis importunè
rogabant. *Ludovicum XI. Gallia Regem facetum & urbanum*
Principem describit *Comineus comment. l. VI. pag. m. 364.* Nam is
Eduardum Angliæ Regem solenni prius habitò colloquiò, exhi-
larare volens. Rectè, inquit, erit cognate, si quando Lutetiam ve-
nias, jucundè vivemus & suaviter, teq; oblectabis cum ejus urbis le-
ctissimis fæminis: adhibebo tibi Cardinalem Borbonium, is quicquid
peccaris, pro eâ quam habet potestate, facillè expiabit. Sed dum par-
tem ad religionem pertinentem joco admiscuit, vix laudari hoc
urbanum meretur dictum, conf. *Ciceron. l. 1. de offic. p. m. 64. sequ.*

S. 7.

Septimò, *Justitia Viro Generoso* inter præcipua hujus vitæ stu-
dia deputatur; adeò, ut nihil quod charum est, tanti æstimet, ob
quod ab eâ discedat: *Fundamentum enim perpetue commendationis*
& fame est justitia, sine quâ nihil est laudabile, aut Cicer. Lib. II. de of-
fic. p. m. 148. clariùs paulò ante eod. libro, de *Justitia*, virum bonum
& generosum decente philosophatur: *Vita, mors, divitia, paupertas*
omnes homines vehementissimè permovent. Que qui in utramque
partem excelso animo magnòq; despiciunt, cumq; aliquâ his ampla,
& honesta res objecta est, totos ad se convertit & rapit, tum quis non
admiretur splendorem, pulchritudinem virtutis? Ergò & hæc animi
despicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè justitia, ex quâ
virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini vide-
tur: nec injuria. Nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui
dolorem, qui exilium, qui egestatem timet; aut qui ea, quæ sunt his
contraria, equitati anteponit. Maximèq; admirantur eum, qui pecu-
nia non movetur: quod in quò viro perspectum sit, hunc dignum spe-
ctari arbitrantur. Itaque illa tria, quæ proposita sunt ad gloriam,
omnia

297.
omnia justitia conficit. Justitiam verò dirigit prudentia, quæ
pollere Generosum maxime oportet. Quare Cicero locis jam cita-
tis prudentiam cum justitia conjungit, quia hæc sine illâ esse ne-
quit.

S. 8.
Summatim dicendo tandem, quæ sit Viri Generosi idea, Seneca
verbis Epist. CXV. illam exprimere lubet: Si nobis, inquit ille,
animum boni (Generosi) viri liceret inspicere, ô quàm pulchram fa-
ciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem vide-
rimus! hinc justitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ prudentiâ-
que lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia & tolerantia, &
libertas comitasq;, & (quis credat?) in homine rerum humanitas bo-
num, splendorem illi suum affunderent. Tum providentia, tum ele-
gantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum Dii boni
(DEUS!) decoris illi, quantum ponderis, gravitatisque adderent?
quanta esset cum gratia auctoris. Nemo illum amabilem, qui non si-
mul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiore ful-
gentioremq;, quàm cerni inter humana consuevit, nonne velut numi-
nis occursum obstupefactus resistat, & ut fas sit vidisse, tacitus precetur?
Nos precamur DEUM, ter optimum maximum, ut his turbulentis
temporibus Viros Generosos & de republ. benè meritos excitet ac
servet, qui procul adfectu reipublicæ commodum unicè spectantes,
pacem Christianis diu desideratam promoveant, ac autore CHRISTO
veræ pacis principe, illam Germaniæ laboranti, adplaudentibus
civium votis reddant!

S. D. G.

Additamenta.

I.

Barbara quidem vox est *Pedanteria*, sed tamen
hodie eruditis etiam usitata. Gallicus qui-
dam

298.
dam scriptor anonymus, ita describit, ut adpareat, illam pluram involvere vitia: verba ejus ex idiomate Gallico translata ita habent: *Pedanteria vitium ingenii est, non professionis; Et in quocunque vita genere, conditione Et statu eodem infestus reperias. Parvas nulliusq; pretii res extollere, scientiæ suæ vanâ ostentatione laborare; Latina Græcis sine judicio mixta proferre; incallescere super ordine mensium Græcorum, non minus, quàm super habitu veterum Macedonum, superque aliis hujus farinae rebus futilibus; convitiis laceffere autores, aut ignominiosè traducere eos, quibus non eadem mens nobiscum est circa explicationem loci ex Suetonio, aut circa etymologiam alicujus vocabuli, non aliter ac si Religionis aut Reipublicæ in hoc versaretur periculum; in eum, qui non satis Ciceronem existimasse videtur, ut in perturbatorum tranquillitatis publicæ, quicquid est mortalium excitare, uti quondam Scaliger in Erasmmum insurrexit; partes denique cujusdam obsoleti Philosophi non minus acriter, quàm si amici sanguine conjunctissimi res ageretur, defendere, ea verò vera Pedanteria est.* v. Logique ou l'art de penser.

II.

Bonus vir, à cultore non in adulatorem desciscit.

III.

Idem satis superque sibi tribui credit, si
con-

conscientiæ apud DEUM, officii in remp. studiotus & memor habeatur.

IV.

Si eruditus & bonus non est, nisi quem hic & ille probat, aut amat, adultores omnium doctissimi & optimi erunt.

V.

Verè Plinius l. III. Epist. 16. adnotavit: *Alia clariora esse, alia majora.*

VI.

Friderici III. Imperatoris symbolum, A. E. I. O. U. quocunqve modo explicetur, gloriosum videtur: ut, Austria Erit In Orbe Ultima: vel, Austriae Est Imperare Orbi Universo: vel *Aller Ehren Ist Desterreich Boll.*

VII.

Imperium indigenarum populo plerumq; mitius videtur quam exterorum. Hinc *Comineus: vix ulla natio est, quæ ferat imperium peregrinum; Galli certè non ferrent, & ubicunqve populus est aliqua mediocri potentia, videmus eum ferè ab indigenis gubernari: Rationem annectit: Nam etiamsi Prin-*

300
QX
117
920
Princeps ali quis externus benè rem gerat & commodè gubernet; tamen quia moribus & genio differt, nec eam erga populum representare potest benevolentiam, ac si esset indigena, facile oriuntur dissensionum occasiones: itaq; fit, ut ille, quò principatum ad se delatum, suasq; fortunas tueatur, aliunde milites & copias adducat, eorumq; se praesidiis muniat, qui beneficiis deindè singulariter ab eo & honoribus aucti, magnam multitudinis invidiam & odium in se concitant.

VIII.

Non sine caussa Henricus M. Galliaè Rex, cuidam aulicorum procerum, qui Romanae religionis professionem, placendi studio amplexus erat, dixit: Tum demum tibi deficiendum fuisset, si meò exemplo regnum integrum apostasia lucrari potuisses.

IX.

Nullus mortalium omnes temporum casus evitare potest.

X.

Indifferentismus moralis, paucis gradibus ab atheismo differt.

FINIS.

1107

282.

PER-IL

DN

DYNA

SERE

SIMI EI

CONSI

NON C

AC P

DOM

PH


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OSISSIMO

NNO

RF,

ESTERIZ,

C.

TENTIS.

CRETIORI

OMITI, NEC

APITANEO

LLIUS DI-

O,

ATI SUO

CILLO

SSA

DENS

